



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 13. Eorum dicta ab Eugenio Legatis confutata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

chio Rothlinganus, & Thomas Hafelba-
 chius celebris Theologus, quos Frideri-
 cus cum Eugenii, & Synodi Legatis col-
 laturus decreverat, contendentibus ad
 exponenda jura sua opportunum tempo-
 ris spatium concesserunt. Primi audie-
 bantur Basileenses, ex quibus Panormi-
 tanus Juris consultorum ævi sui facile
 princeps, in tertiam usque diem probare
 conabatur, Basileensem Synodum legiti-
 me continuatam esse; Papam eidem o-
 bedire adstrictum, nec illam dissolvere,
 nec transferre potuisse; Ferrariensem ve-
 ro conventum Oecumenici Concilii præ-
 rogativa non gaudere; Eugenium a Ba-
 fileensibus merito exauctoratum, & in e-
 jus locum Felicem rite susceptum fuisse;
 eique omnes Fideles de necessitate salu-
 tis obedientiam præstare, eumque tan-
 quam solum, & unicum Christi Domini
 Vicarium colere debere. Tandem obje-
 ctas Adversariorum suorum rationes di-
 luere, & quoddam Eugenii decretum,
 quod ab his verbis incipit: *Etsi non dubi-
 temus &c.* pluribus argumentis resellere ag-
 grediebatur. Hæc omnia gesta fuere pri-
 vatim, remotisque arbitris.

§. XIII.

*Basileensium dicta ab Eugenii Legatis
 confutata.*

Deinde Eugenii Papæ oratores apud
 eosdem

Sæcul. XV.
 A. C. 1442.

Sæcul. XV.
A. C. 1442.

eosdem Cæsareos Delegatos causam suam agebant; ex his Nicolaus de Cusa ceterorum nomine verba faciens demonstravit, iniquum fuisse, Amadæi Sectatores utpote proscriptos audiri. His præmissis, ac explicata uberius rerum, necnon utrinque gestorum serie invicte probavit, Eugenium æquissimis rationibus motum, Synodum transtulisse, sententiam adversus ipsum latam impiam, cunctaque accusationum capita falsissima; Basileensium quoque cœtum Oecumenicæ Synodi nomine indignam, sanctum vero & Oecumenicum Concilium Florentiis celebratum esse; Basileense Concilium non alios protulisse fructus, quam schisma, divisionem, & abominationem in Ecclesia Dei: ex adverso a Florentinorum Patrum sollicitudine ortam fuisse unionem, & conversionem Græcorum, Armenorum, Jacobitarum, & aliorum plurium. Omnium ergo harum rationum momenta tanti ponderis esse, ut merito Imperatorem movere deberent ad Basileenses unacum suo idolo ejiciendos, & ad extremos orbis angulos proscribendos, Eugenium vero recipiendum, honorandumque ut sanctum Pontificem, & verum Christi Vicarium. Redegerunt insuper utriusque partis Oratores hosce suos sermones in scripturam, ut fidelius, pleniusque Cæsari redeunti cuncta referrentur.

§. XIV.